



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvintum

González Téllez, Emanuel

Francofurti Ad Moenum, 1690

Titulus XXX. De eo qui furtivè ordinem suscepit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74544](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74544)

Carcia in summa, tract. 10. difficult. 5. dub. 5. punct.
 3. Quoad gradus verò, quos adhuc non accep-
 rat, certum est eum impeditum esse ascende-
 re, non quia irregularitatem contraxerit ex ordina-
 tione per saltum, quæ nulla in jure imposta legi-
 tur, sed potius propter effectum suspensionis ex-
 ercenti, & ministrandi in gradu suscepto, ut pro-
 barunt Suarez supra num. 49. Acunna *diel. cap. so-
 licitudo, num. 10.* Tamen quoad hanc censuram
 sciendum est, Episcopum in ea posse dispensare,
 ut prætermisso ordinem suscipiat, & ut gradu
 malè suscepto ministret, & ad superiores ascendat,
 quamvis delictum sit publicum; dum tamen in
 gradu prætermisso, aut malè suscepto ministraverit,
 ut expressè cavetur in Concil. Trident. *sess. 23.
 de reform. cap. 14.* docent Mayolus *lib. 4. de ir-
 regul. cap. 12. num. 2.* Suarez *de censur. disput. 31.
 sect. 1. num. 51.* Avila *eod. tract. part. 7. disput. 9.
 sect. 1. dub. 2.* immò et si ministraverit in gradu ma-
 lè suscepto, aut promotus, adhuc cum eo dispensa-
 re potest, si delictum occultum fuerit, *ex cap. 14.
 sess. 25. de reform. Concilii Trident. Probat Acun-
 na ubi supra. Barbosa de potest. Episcopi alleg. 47.
 num. 5.*

riores ordines non suscipiant, sed quòd in his ne-
 quaquam se exercerent. Secundò cognoscendo
 magnam differentiam versari inter presbyteratum
 cum Episcopatu collatum, & inter ceteros ordines
 cum presbyteratu comparatos. Etenim Episcopa-
 lis ordinatio nulla est, quam non presbyteralis præ-
 cesserit; quia presbyteralis valida est, non susce-
 ptis reliquis inferioribus gradibus; Episcopalis
 verò nulla est, nisi præmittatur presbyteratus. Cu-
 jus differentia ratio est, quia Episcopatus est sum-
 mum sacerdotium, & presbyteratum essentialiter
 involvit, & nequit esse Episcopus, qui non fuerit
 antea presbyter. Presbyteratus autem non est Dia-
 conatus, nec eum essentialiter involvit; nec Dia-
 conatus est Subdiaconatus, aut eum essentialiter in-
 cludit, & sic de ceteris gradibus: quare potest quis
 esse presbyter sine inferioribus gradibus, ut probat
 latè Hallierius *d. sect. 1. §. 5.* unde potuit illis tempo-
 ribus justis ex causis ille qui nunquam in minoribus
 gradibus erat ministraturus, illis omissis in Sub-
 diaconum, vel Diaconum ordinari; juxta quem an-
 tiquum Ecclesiæ morem exaudienda sunt exempla
 pro dubitandi ratione adducta. Nec obstat aug-
 mentum ipsius difficultatis deductum ex eo, quod
 frustra in præsentis casu, & similibus suppletur gra-
 dus Diaconatus omissus, nam certum est in ordina-
 to per saltum quemlibet gradum omissum supplen-
 dum esse, quia licet gradus superior validè suscep-
 tus sit, non tamen licet ex defectu gradus omissi:
 unde supplendum est quod fuerat prætermis-
 sum. Quod majori ratione procedit in gradu Diacona-
 tus omissio, qui omni tempore sacer fuit, ad hierar-
 chiam divina ordinatione institutus: unde strictius
 hæret Diaconatus Presbyteratus, quam alii gradus
 inferiores, ut latè probat Hallierius *diel. sect. 1. §. 4.
 per tot.* qui videndus est pro fusiori hujus tituli
 commentario.

7.
 Dissol-
 vunt
 dubia
 ratio.

Non obstat dubitandi ratio supra adducta ex
 variis juris auctoritatibus, & exemplis, in quibus
 docetur, & refertur, ex uno gradu inferiori, vi-
 delicet lectoratu, aut simili, ad presbyteratum plu-
 res fuisse promotos; nam duplici modo responde-
 ri potest. Primo asserendo, consuetudinem eorum
 temporum fuisse, ut etsi singuli gradus ordinis
 unus post alium conferrentur, illi tantum nomi-
 narentur, ad quorum officia aliqui destinabantur,
 vel qui eodem die ultimo loco fuerant collati, ut
 hodie usitato more loquendi, si quis uno die om-
 nes minores recipiat cum Subdiaconatu, dicitur ea
 die Subdiaconus creatus, nullà mentione factà mi-
 norum ordinum. Unde ex canonibus, exemplisque
 supra relatis, tantum deduci potest, licitum fuisse
 olim nonnunquam aliquos ordinari, qui in singulis
 minoribus ordinibus non fuissent exercitati,
 immò & eodem aliquando die, vel saltem paucis,
 ob clericorum penuriam, quosdam etiam ad Epif-
 copale fastigium erectos fuisse; non quòd infe-

8.
 Expon-
 tur Con-
 cil Lon-
 dinese
 1. can. 6.

Ex dictis difficilis videri potest canon. 6. Con-
 cili London. I. celebrati anno 1225. tempore Ho-
 norii II. in illis verbis: *Nullus in Diaconum, nullus
 in Priorem, nisi Presbyter; nullus in Archidiaconum,
 nisi Diaconus promoveatur.* Sed responden-
 dum est pro illo verbo *Diaconum*, legendum esse,
 Decanum, ut in *cap. 1. de arce & qualis.*

TITULUS XXX.
 De eo qui furtivè ordinem suscepit.

CAPUT PRIMUM.

Alex. III. a Lingoniensi Episcopo.



Eniens ad nos P. nobis exposuit, se furtivè ordinem diacon. suscepisse.
 Unde f. r. respondemus, quod si non fuit à re, vel ab aliquo Archidia-
 conorum, vel Prælatorum tuorum sub anathematis interminatione
 prohibitus, tu ipse in promotione ipsius ad sacerdotale officium condig-
 nà satisfactione imposita (nisi alia impediunt) pro arbitrio tuo dispen-
 ses. Si verò interminatio anathematis super hoc facta est, moneas eum, ut
 in aliquo monasterio, seu canonia habitum suscipiat regularem: cui ex quo in habitu illo
 aliquanto tempore fuerit laudabiliter conversatus, poteris misericorditer providere: a-
 lioquin nullà ratione concedimus eum sacerdotalem ordinem promoveri.

NOTÆ.

1. **a** *Lingoniensis.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap. 1.* & post Concil. Lateran. *part. 26. cap. 9.* legitur *Livoniensis*: sed retinenda est vulgaris inscriptio, quæ habet *Lingoniensis*; nam provincia Livoniensis temporibus Alexandri III. adhuc fidem catholicam non susceperat, ut notavi in *cap. Deus, qui de vita & honest. cleric.* De Lingoniensi, seu Linconienſi Ecclesia nonnulla notavi in *cap. 8. de rescript.*
2. **b** *Archidiaconorum.*] Ad quos jure communi competit presentatio ordinandorum, examen, & discussio, an probi sint, vel non, ad ordines, *cap. ad hoc. cap. ut Archidiaconus, de offic. Archid. cap. unic.* ubi probavi, *de serm. ad ordin. faciend.* ubi notavi, & probat late Hallierius *de sacrie elect. part. 1. art. 1. per totum.* Unde juxta jurisdictionem propriam poterant Archidiaconi sub anathemate prohibere, ne ad ordines accederent ab ipsis non examinati, & approbati.
3. **c** *Prelatorum.*] Parochorum videlicet, qui Prælati cum facultate excommunicandi appellantur in *cap. 2. & 3. de offic. ordin.* quare Glossa in *cap. in capite, verbo Injungere, dist. 30.* asserit Episcopum non debere revocare sententias excommunicationis prolatas ab eorum Prælatiſ, id est paro-

chis, ut probavi in *dist. cap. 2. de offic. ordin.* & docent Filetacus in *dist. cap. 3.* Unde cum jure communi attentio parochi non solum teneretur prestare testimonium de propriis parochianis ordinandis, verum & eos Episcopo presentare, Concil. Vasense, *2. can. 1. Emerit. can. 18. Nannerense can. 11. ibi: Quando Episcopus ordinationem facere presumit, omnes, qui ad sacrum ministerium accedere voluerint, feriâ IV. ante ipsam ordinationem vocandos esse unâ cum presbyteris, qui eos representare debent.* Unde quemadmodum Archidiaconi proprios clericos civitatis sibi subditos; ita & Archipresbyteri clericos suarum parochiarum Episcopo ordinanti presentabant, & in ipso actu ordinationis anathema profertur in omnes, qui furtivè ad ordines accedunt, ut cavetur in Pontificali Romano, *part. 1. tit. de ordinibus conferendis, prope finem*: ubi ritus ille prescribitur, videlicet ut antequam ordinationes celebrentur, aliquis nomine Episcopi ordinaturi præcipiat, & mandet, ne quis non descriptus, examinatus, approbatus, & nominatus ullo pacto audeat ad suscipiendos ordines accedere: de quo anathemate agit Alexander III. in presentibus: quod anathema proferre poterant parochi, & Archidiaconi, ex propria jurisdictione, juxta supra tradita: vel nomine Episcopi, juxta ritum descriptum in Pontificali Romano.

CAPUT II.

a Cœlestinus III.

CUm H. lator presentium, sicut nobis sua quæstione monstravit, ad tuam (ordinationis causâ) presentiam accessisset, juxta consuetudinem patriæ sibi **b** quatuor minores ordines contulisti, quibus non contentus, subdiaconatum temerario ausu recipit. Quia verò idem clericus in hoc facto multum excessit, mandamus, quatenus cum in minoribus dumtaxat ordinibus celebrare permittas. Si verò domum religionis intraverit, & vita, & mores ejus exegerint, Abbas (si voluerit) in aliis poterit ordinibus dispensare.

NOTÆ.

- a** *Cœlestinus III.*] Ita etiam legitur in secunda collectione, *sub hoc tit. cap. 1.* nullibi

tamen exprimitur, cui rescribat Pontifex.

b *Quatuor minores.*] Ritè, & rectè, juxta tradita in *cap. cum dilectus, de temporib. ordin.* ubi commentarium hujus textus dedimus.

CAPUT III.

a Idem.

Innotuit nobis ex tenore tuarum litterarum, quod G. Clericus lator presentium, & alii duo de tua diocesi ad G. quondam **b** Saguntin. Episcopum accedentes, licet ab eodem Episcopo sub excommunicationis sententia fuisset districtè prohibitum, ne quis se ad duos ordines suscipiendos ingereret; prædicti tamen clerici non minus diaconatus, & subdiaconatus ordinem clanculo susceperunt. Quia igitur quid tibi faciendum sit pro his, tu nos duxit fraternitas consulendos, tibi auctoritate Apostolica respondemus, quod ordinati de rigore juris in susceptis ordinibus ministrare non debent: verumtamen, si se ad religionem aliquam voluerint transferte, & peractâ pœnitentiâ eis pro tuo arbitrio in-junctâ ibidem laudabiliter fuerint conversati, processu temporis cum eis poteris de nostra licentia dispensare, ut postmodum susceptorum ordinum executione laxentur. Præterea pro dicto etiam G. cum in persona propria laboraverit, F. tuam rogamus attentius, & monemus, ut eum facias in canonicum regularem sancti Petri de Seia, vel in alium religiosum locum, ubi deploret excessum, tanquam fratrem assumi, ut si ei ibidem viventis regulariter sua merita videris suffragari, ministrandi, prout diximus, tribuas **a** facultatem.

NOTE.

NOTÆ.

^a **[Dem.]** Ita etiam legitur in secunda collectione, sub hoc tit. cap. 2. & in cap. innotuit 1. de maledic. Ubi extat alia pars hujus Decretalis: nulli tamen exprimitur, cui Episcopo referibat Pontifex, licet ex textu litera deducatur, scribere alicui Episcopo prope Saguntinam diocesim.

^b **[Sagunt.]** Saguntum vetustissima urbs est Hispaniæ citerioris in populis Eretanis, cujus meminerunt Ptolomeus lib. 2. Geograph. tabul. 2. Plinius lib. 5. cap. 3. Lucanus lib. 3. Pharsal.

Nec paver hic populus pro libertate subire Obsessum Penogestit quod Marte Saguntum. De cujus origine, & conditoribus agunt Scolanus tom. 2. hist. Valentia, fol. 35. & 38. Tamayo à Salazar tom. 3. martyrol. die 25. Junii.

^c **[Non debent.]** Quia suspensionem incurunt furtivè ordines recipiendo, & duos sacros ordines uno die suscipiendo. Suarez de censur. disp. 31. sect. 3.

^d **[Facultatem.]** Quia cum professis vitam regularem facilius dispensatur, immo & per ipsam professionem in religione emissam nonnullæ irregularitates tolluntur, ut probavi in cap. de filiis presbyter.

COMMENTARIUM.

¹ **F**urtiva ordinatio dicitur, quoties fit contra canonum statuta, cap. presbyter, 24. dist. cum vita, genus, patria, ætas, locus, doctrina, fides non expenduntur, cap. quando ead. dist. vel cum quis sine examine se ordinari curavit, cap. extra

conscientiam, 64. dist. vel cum quis clam simul cum aliis intrusus fuit ignaro Episcopo, can. 30. Concilii Illiber. ibi: Subdiaconos eos ordinari non debere, qui in adolescentia suafuerint machati, eo quod postmodum per subreptionem, & altiorem gradum promovebantur. Si autem aliqui sunt, in præteritum ordinati amoveantur. Circa ita ordinatos furtivè certum est, semper characterem accipere, & validè ordines recipere, nisi ex defectu intentionis Episcopi sacramentum nullum sit: quod in dubio credendum non est, ut docent Theologi cum D. Thoma 3. part. quest. 64. art. 4. Marchinus de ordin. tract. 1. part. 2. cap. 11. num. 17. Hieron Garcia in summa, tract. 1. difficult. 1. dub. 13. punct. 4. Lugo de sacram. in genere, disput. 8. sect. 7. num. 119. Sed circa pœnas, quas incurrit ita ordinatus furtivè, discrimen est constituendum inter eum casum, in quo prius excommunicatio data fuit contra eos, qui furtivè se ingesserint; nam tunc certum est simili excommunicationis vinculo irretitos non habere liberam exercendorum ordinum suorum facultatem. Hallier. de sacris elect. sect. 2. ad finem: quam suspensionem aliqui irregularitatem dicunt, quos referunt Diana part. 4. tract. 2. resol. 55. Hier. Garcia dist. punct. 4. Barbosa de jure eccles. lib. 1. cap. 33. Hurtado de irregul. disp. 2. difficult. 1. num. 3. Bonacin. eod. tract. disp. 7. quest. 3. punct. 4. nu. 6. Sed contrarium, imò tantum suspensionem incurrere, docuerunt Gibal. de irregul. cap. 5. quest. 1. n. 21. dub. 6. Leand. eod. tract. disp. 10. q. 4. Si autem nulla præcessit excommunicatio, suspensionem incurunt: in qua Pontifex dispensare valet, ut latius prosequuntur Suarez de censur. disp. 42. sect. 5. Hieron Garcia dist. punct. 4.

TITULUS XXXI.

De excessibus Prælatorum in subditos, vel contra.

CAPUT PRIMUM.

^a Alexander III.



Pervenit ad audientiam nostram, unde si verum est, miramur plurimum, & adversum vos de jure movemur, quod in presbyteros, qui sunt in vestra jurisdictione constituti, singulis annis, quasi in servos mercenarios talliam faciatis; quibus, nisi ad voluntatem vestram pecuniam solverint, divinum officium interdicitis, & eos viliter, & inhonestè tractatis in tantum, quod ipsos laicos despiciabiles reddidistis. Ideo verò hæc si vera sunt gravi debent ultione puniri, cum eosdem presbyteros, quasi filios, & fratres benignè ac fraterna charitate fovere debeatis. Discretionem igitur vestræ per A. G. p. m. quat. in prædictos presbyteros hujusmodi tallias, & indebitas exactiones exercere nullatenus præsumatis, nec eos de cætero irrationabiliter gravetis, vel inhonestè tractetis, aut sine judicio Capituli sui suspendere præsumatis, vel eorum Ecclesias interdicto subjiciatis; neque duas eos matrices Ecclesias, quarum unam sufficere videbitis, tenere permittatis: nec aliquem sine ordine judiciario excommunicare præsumatis: scituri pro certo, quod si hujusmodi rumores de vobis ad aures nostras pervenerint, vos pro tantis excessibus, auctore Domino, taliter puniemus, quod timore pœnæ vestræ cæteri à similibus abstinebunt.